

1.3.22

*Idem AA. Florentio pp.*

Si qua per calumniam postulatio super criminalibus causis apud competentem iudicem deposita exhibitionis causa fuerit sacrosanctae religionis antistitis, triginta pondo auri condemnatione publicis calculis inferenda ut percellatur, praecipimus.

1 ¶ Quin etiam omnia privilegia, quae sacrosanctis ecclesiis confugarum aut clericorum, decanorum vel aliorum ecclesiasticorum causa legibus sunt praestita, intacta atque illibata servari.

2 ¶ Praeterea iubemus, ut omnes clerici atque monachi, qui de suis civitatibus ad hanc almam urbem ecclesiastici negotii vel religionis causa proficiscuntur, litteris episcopi, cui unusquisque iter faciens obsequitur, muniti adveniant: scituri quod, si citra hanc fiduciam accesserint, sibimet imputabunt, quod non clerici vel monachi esse putabuntur.

*D. in id. Febr. Constantinopoli Valentiniano A. VI et Nomo conss. [a. 445]*

1.3.23

*Imp. Valentinianus et Marcianus AA. Palladio pp.*

Quoniam venerabilis recordationis Flavianus huius almae urbis episcopus cum venerabili synodo innumerabilium paene sacerdotum, qui Chalcedone convenerunt, tanto ac tali decoratus est testimonio, ut Eutyches, qui contra senserat, cum sceleratis dictis suis ab omnibus uno ore damnaretur, aboleatur quidem Eutychetis damnosa memoria, Flaviani autem laudabilis recordatio reveletur.

*D. Constantinopoli pridie nonas Iulias Sporacio cons. [a. 452]*

1.3.24

*Idem AA. Palladia pp.*

Id, quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed modis omnibus ratum firmumque consistat.

*D. VIII k. Mai. Anthemio cons. [a. 455]*